



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. (a) Clemens III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

instituentem facere, sequitur necessariò, permutationem ab ipsis factam propria auctoritate nullius esse momenti. Tandem facit, nam permutatio rei alienæ nulla est, l. 1. §. ult. ff. de rerum permut. sed beneficiarii non sunt domini beneficiorum, sed tantùm usufructuarii, seu economi, cap. ceterum, de donat. Igitur non possunt propria auctoritate ipsa beneficia permutare. Unde talis permutatio beneficiorum adeò inaudita fuit pluribus Ecclesiæ saculis, ut nec apud Gratianum, ceterosque Decretistas ulla ejus mentio extet, usquequàm in Concilio Turonensi relato in cap. majoribus 8. de præbend. dum sectio præbendarum prohibita fuit, simul Patres improbarunt commutationes præbendarum; quam prohibitionem firmarunt Urbanus III. Clemens III. & Innocentius III. in præsentibus juribus; & Pius V. in sua constitutione 42. quæ incipit, *Officium*, suspendens omnes facultates Ordinariorum admittendi quasquæ resignationes beneficiorum; & constitutione 58. eas tantùm permutationes permittit, quæ juri consonæ sint, his verbis: *Adhuc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur, id est, quæ auctoritate Episcopi ex justa causa celebrantur.*

Auctoritate autem Episcopi permutationes beneficiorum celebrari possunt; & appellatio-  
ne Episcopi comprehenditur quicunque habens auctoritatem Episcopalem, qui in proprio territorio similes permutationes admittere potest. Suarez dicto lib. 4. de simonia, cap. 32. num. 14. Gibalinus eodem tract. 9. 14. consuet. 3. num. 5. Ratio est, quia quotiescunque aliquid competit Episcopo ratione jurisdictionis, non verò ordinis, id peragi potest ab aliis, qui eandem jurisdictionem exercent. Nec interest, quod insti-

tutio beneficiorum ad aliquem spectet, veluti Archidiaconum, vel alium similem; nam adhuc permutatio facienda est coram ipso Episcopo, non verò coram eo, ad quem institutio spectat. Ratio est, quia auctoritas Episcopi non desideratur, ut instituentem in ipsis beneficiis faciat, sed ut agnoscat, an justa causa subsit in ipsa permutatione; & an simoniæ labes interveniat; quare alius quàm Episcopus, seu qui jurisdictionem Episcopalem exercet, non potest auctoritatem simili permutationi præstare, ut defendit Gibalinus dicto consuet. 7. num. 6. ultra auctoritatem Episcopi desideratur consensus collatorum, eorumque, quorum interest collationem fieri, vel non. Garcia de benefico. dict. cap. 4. num. 74. Gibalinus ubi supra.

Nec obstat difficultas supra adducta, nam jura ibi adducta procedunt in permutationibus factis auctoritate superioris, ex præsentis textu, cui convenit lex 63. tit. 5. part. 1. Nec obstat primum augmentum difficultatis, nam verum est, rem spirituales posse permutari cum re spirituali, accedente consensu superioris. Unde etiam præcedente Episcopi auctoritate valebit permutatio beneficii cum beneficio. Nec obstat aliud difficultatis augmentum; nam licet cum beneficium permutatur cum beneficio purè, & absolute, non interveniat simonia, juxta veriorum sententiam; tamen quia propter inæqualitatem fructuum facile simonia interveniat, & similes pactiones illicitæ, probrosæque judicantur; idè examen Episcopi præcedere debet, ut talis permutatio licita sit: an verò datâ inæqualitate fructuum possit pensio auctoritate Episcopi constitui in alio beneficio, aliæque ad permutationem beneficiorum spectantia; prosequuntur in præsentis Bartolus, Sanchez, & Boëtius Epon.

## CAPVT VIII.

(a) Clemens III.

Ad quæstiones solvendas. Et infra: Intelleximus ex litteris tuis, quod duæ conventuales Ecclesiæ sunt in tua diocesi constitutæ, quarum utraque parochialem habet Ecclesiam cum possessionibus magis alteri, quàm sibi vicinam. Illis autem desiderantibus permutare eas, cum illarum altera respectu meliorum proventuum plus abundet, & idè sibi postuler adjici certam summam pecuniæ numeratæ, ut sic ad æqualitatem permutationis valeant pervenire, utrum possit id licitè fieri, extitit dubitatum; quam ob causam Sedem Apostolicam consuluisti. Licet itaque tuæ discretionis industriam ignorare minimè putemus, quid super eodem articulo sit agendum, nihilominus tuæ prudentiæ respondemus, quod cum de di-  
ctis parochialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari, & in permutatione possessionum per se non sit inhibiturum, si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire: & refusâ certâ pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniri; sic tamen quod illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur.

NOTÆ.

(a) Clemens III. ] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titulo, cap. 2. nul-

libi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec integram habemus, ut inde cognosci possit, de quibus monasteriis in præsentis agatur.

CAPVT